



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Capita Pietatis Christianæ, Interrogationibus Et
Responsionibus vsitatis in Catechetica Methodo ita
explicata, vt breuem sed integram hypotyposin doctrinæ
purioris complectantur**

Ferinarius, Johannes

Magdeburgi

VD16 W 3078

Quartvm Capvt Catecheseos, De Sacramento Baptismi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36195

Hoc modo quilibet scire potest, se utrum in rebus corporalibus, sine peccato, quando fecit illas, quae sunt ordinata à Deo, in sua vocatione, & quae ea facit in vera fide, & cum invocatione Dei.

Ita apparet Paulum loqui de usu Physico, & politico rerum corporalium, Deo placente, non in efficacia spirituali illarum rerum, sine mandato Dei, & concludimus, illas consecrationes esse magicas, & superstitiones impias, quia sunt opera, non mandata à Deo, nec habent causam physicam, nec sunt rei Politici causa.

QUARTVM CAPVT CATECHESICO DE SACRAMENTO BAPTISMI.

Doctrina de Sacramentis in genere.

Quid significat vocabulum Sacramentum in veteri lingua?

Significat arcanam siue confederationem, & coniurationem, ad seruandos certos ritus sacrorum, & ad alia ciuilia quaedam officia prestanda. Apud gentes enim gentes, in antiquitate Ethnica, fuerunt quaedam collegia, & arcana foedera, inter se de quibusdam vinculis religionis, quae sunt nominata sacramenta, quasi sacrae promissiones.

Græci nominant *μυστήρια*, d. velando, vel occultando. Quia præfides sacrorum stabant velati. & ritus sacri non spargebatur inter profanos, qui non erant initiati, & non erant recepti in societatem.

Romani iuramenta militaria nominant *Sacramenta*, quia militia est quoddam fœdus, quod etiam obligabat tunc: milites, ad certa sacrificia, & alios ritus.

Quid nominatur Sacramentum in Ecclesia?

Sacramentum in nouo testamento, est ritus diuinitus institutus, additus promissioni in Euangelio traditæ, ut sit testimonium, & pignus, exhibitæ, & applicatæ promissionis gratiæ, ad singulos. Ideo olim rectè dictum est: Sacramentum est signum gratiæ.

Propter quas causas promulgationi promissionis, sunt additi ritus?

Duo sunt potiores fines Sacramentorum.

1. Sacramenta sunt signa promissionis, commemorant nos de promissione, & sunt signa applicatæ, id est, testificantia, quod promissio ad singulos pertineat. Ideo vero adduntur promissioni hæc sigilla, quæ spectacula, incurrentia in oculos, magis mouent animos, & facilius retinentur, quàm nuda verba promissionum generalium.

2. Sunt signa confessionis, & societatis cum Ecclesia. Deus vult confici Ecclesiam, & singulos fieri membra

membra Ecclesie visibilis. Ideo cetui vocatorum, & Ecclesie visibili, dedit quaedam signa, que manifeste distinguunt Ecclesiam ab alijs congregationibus.

Prior finis est principalior. De eo loquitur Paulus, cum circumcisionem nominat $\sigma\phi\alpha\gamma\gamma\alpha\tau\omega\sigma$, sigillum iusticie, quia erat signum mans fidei, & testificans promissionem de gratia, pertinere ad Abrahamum. Postea quodlibet Sacramentum, habet suas peculiare significaciones, ut supra dicitur.

Quæ fuerunt Sacramenta veteris Testamenti:

Ante diluuium, externum signum additum promissioni, fuit inflammatio agni, qui consumebatur celesti flamma, Quamquam & in natura adhuc integra prohibitio de fructu arboris vite, debuit esse quasi sacramentum, id est, exercitium obedientie, proprium homini. Sed post diluuium, quando promissio de gratia salutari fuit renouata, & restricta ad posteritatem Abrahæ, additum est nouum signum, scilicet, Circumcisio.

Quid significabat Circumcisio:

Primo, & principaliter erat testimonium de promissione gratie, & applicatione promissionis gratie ad singulos.

2. Discernebat gentem Iudaicam, in qua erat futurus, & concionaturus Messias, ab omnibus alijs populis.

Fuit ordinata in illa arcana parte corporis, ut
 admiranda admonitio de venturo semine ex posteris
 habere, sicut antea dictum fuerat in prima promissio-
 ne: Semen mulieris, conculcabit caput serpentis.

4. Circumcisio significabat in hac generatione car-
 nali, naturam hominum nasci ream, immundam, &
 peccandam, hoc est, morti addictam, sed propter
 promissum semen, iuxta verbum, Ecclesiam habituram
 esse, novam, & eternam iusticiam, & vitam.

Constituta deinde Politia Israël, signa fuerunt,
 Passatio agni in Paschate, & multa Cereemonia Les-
 tiae & sacrificia typica.

Redeunt à Pontificiis numerantur septem
 Sacramenta, Noui Testa-
 menti:

Cum Sacramenta nominentur actiones à Deo ins-
 titute, ut sint testimonia promissionis gratiae, & has
 habent adiunctam promissionem gratiae, facile intelli-
 gitur hoc nomen non tribuendum esse alijs actionibus,
 vel operibus, siue moralibus, siue Cereemonialibus.

Vita coniugalis,

Et alia opera praecepta in Decalogo, habent quo-
 dam mandata à Deo, & adiunctas promissiones prae-
 miorum. Sed non sunt mandata, vel instituta, ut sint
 testimonia promissionis gratiae, neque proprie habent ad-
 iunctam promissionem gratiae, vel iusticiae aeternae, neque
 tantum sunt opera noui testamenti. Ideo coniugium
 non rectè nominatur Sacramentum.

Ff 3

Poenis.

Complectitur opera mandata in lege Dei, et apprehensionem beneficiorum Euangelij. Illorum enim bonorum, seu beneficiorum in Euangelio promissionum confirmationes sunt Sacramenta. Sed ipsa confirmatio, seu pœnitentia improprie Sacramentum nominatur.

Ritus confirmationis,

Quem retinent Pontificij, prorsus in ecclesiasticum est, nec mandatum Dei, nec promissionem gratiæ adiunctam habens. Exploratio autem et prædicta publica doctrinæ, item publica precatio, pro confirmatione fidei, et donorum Spiritus sancti, et præcepta est, et utilis.

De more seruando in ordinatione ministrorum Euangelij, supra dictum est.

Tridentina Synodus valde pugnat

De unctione,

Respondeo. Ritus unctionis Papsificæ, qui nunc est in usu, est manifesta impietas, Quia consecratio olei, quæ nunc sunt, sunt similes Magicis: Additur enim inuocatio mortuorum. Hæc expressè damnata sunt voce diuina.

Contra:

Apostolis fuit in usu unctio.

Ergo et nobis debet esse.

Respondeo. Falsò citantur exempla Apostolorum qui adhibebant olea, ad sanationem morborum, hoc fuit donum miraculosum, attributum primæ

et Nunc fingunt pontificij unctioe tolli peccata,
manifestum est, huic ritui unctiois, non esse adiun-
tam promissionem gratiae.

Quot sunt igitur propriè Sacramenta
Noui Testamenti ?

Duo, Baptismus, & Cæna Domini. Si quis vult
addere Absolutionem, propter promissionem traditam :
Quorum remisit is peccata, remittuntur eis : Cum
non pugnabimus.

Quomodo audacia humana Sacra-
menta solet corrumpere ?

Corruptelæ insigniores sunt duplices omnibus
etatibus. Maxima multitudo obliuiscitur promissionis,
sicut olim Ethnici, & vertit signa in numina, seu De-
os, sicut Chaldaei, & Persæ ignem finxerunt esse ipsum
Deum, quia audierunt igni ex cælo delapso, incensas
esse victimas.

Alij fingunt ipsos ritus esse opera, quæ merentur
remissionem peccatorum, & hac opinione cumulant
illa opera, & subinde nouas Ceremonias, & nouos
Deos excogitant. Sicut Ethnici comminiscabantur
veros cultus, & varia numina : Ita Pontificij ritum
cæcè verterunt in numen, & de Missa, & ritibus
Mosaicis dixerunt, hæc opera mereri remissionem
peccatorum.

Quæ sunt generales Regulæ, vel Admoni-
tiones, de Sacramentis ?

Ff. 4.

1. Regula

1. Regula. Tenendi sunt veri fines Sacramentorum, reiectis omnibus abusibus.

2. Nulla creatura potest instituire Sacramentum, vel ullum opus, quod habeat rationem Sacramenti, quia solus Deus edit promissionem gratiae, & significationem de promissione.

3. Nihil habet rationem Sacramenti, extra illud institutum. Cum mutatur ritus, aut, extra illud institutum, transfertur ad alios usus, non est Sacramentum, sed actio superstitiosa, seu, Idolum. Vt Petrus, qui à sacrificiis circumgestatur & adoratur, non habet rationem Sacramenti, sed est horribilis profanatio Sacramenti.

4. In adultis in usu Sacramentorum, necessaria est fides, qua singuli se sustentent promissione gratiae, & intuentes testimonium illud, confirmantur, & profituantur, non propter hanc obedientiam dari gratiam, sed gratis, propter Filium Dei. Ideo expressè damnatum est deliramentum Pharisaicum, quod dicit per Sacramenta, ex opere operato, sine bono motu utentis, dari gratiam.

BAPTISMVS.

Quid est Baptismus?

Est instituta à Filio Deimersio in aquam cum pronuntiatione verborum: Ego baptizo te, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, ut sit testimonium eum, qui cum hac pronuntiatione uerborum mergitur.

reconciliari Deo propter Christum, & sanctificari
Spiritu sancto, ad vitam eternam.

Quæ est sententia verborum Baptismi?

Ego Baptizo te, in nomine, Patris & Filij, &
Spiritus sancti, id est, ego minister hoc ritu testificor,
in nomine, id est, ex mādato diuino, te qui sic mergeris,
recipi à uero Deo in gratiam, qui est æternus pater
Domini nostri IESV CHRISTI, & recipi te pro-
pter Filium, & sanctificari te Spiritu sancto. Et quis
deus testificor te recipi in nomen, id est, ad agnitionem,
& inuocationem veri Dei, qui est pater æternus, Do-
mini nostri IESV CHRISTI, & Filius, & Spi-
ritus sanctus, & recipi te propter Filium Redempto-
rem Ecclesie, & sanctificari Spiritu sancto, quem
Deum agnosces, & inuocabis, ideoq; palàm testaris
hoc Baptismo, te omnia commenticia numina execrari.

Effectus, & fines Baptismi.

1. Baptismus est testimonium receptionis & inser-
tionis in Ecclesiam, eo ipso quod testificatur abluī pec-
cata nostra & nos reconciliari Deo, & recipi propter
Christum in societatem bonorum Ecclesie, & regni coele-
stis hereditatem. Ac in Baptismo cogitandæ sunt duæ
rationes.

Prima, foederis quod Deus facit cum homine.
Deus recipit te propter Filium, & per eum delet tua
peccata, & sanctificat te ad vitam eternam. Hoc
Es 5 foedus.

foedus omni tempore ratum est, conuersis ad Deum
& credentibus.

Secunda, obligationis mutua baptizati ad Deum, sicut dicitur: Baptismus est stipulatio bonae conscientiae erga Deum.

Stipulatio,

Significat promissionem, quae fit ad intercessionem alterius. Tu agnoscis hunc esse verum Deum, qui se in filio patet, & hunc verum Deum inuocas filium Ilij, & isti debes obedientiam secundum Euangelium.

Sinodus Tridentina allegat dictum:

Post naufragium humanae naturae, data tabula salutis sunt datae hominibus, scilicet, Baptismus, & hac prima tabula amissa, dolor poenitentiae.

Respondeo. Hoc dictum non est absurde intelligendum, quasi lapsis, & adultis foedus in Baptismo contractum, non sit ratum, nec recuperari possit prima tabula semel amissa. Sed oppositum fuit Nouatianis, qui lapsos post Baptismum, negabant rursus conuerti posse ad Deum. Certum est enim conuersos vere recipi in tantam Arcam Noe, id est, in possessionem integram promissionum Ecclesiae, propter Mediatorem.

2. Prior significatio Baptismi est, nos mergi in sanguinem Christi, & abluere a peccatis, ac Christum induere. Postea significat etiam Ecclesiam mergi in afflictiones & mortem, ut reliquiae peccati absorbeantur.

Suntne infantes Baptizandi?

Sunt. Et confirmatur hoc Argumento.

Omnēs Saluandos oportet inseri Ecclesie, iuxta regulam: Extra Ecclesiam non est salus.

Quos elegit, hos vocauit.

Ad infantes pertinet promissio gratiæ, & salutis æternæ.

Sunt igitur baptizandi, & inserendi Ecclesie.

Minor est manifesta. Dominus inquit: Sinite paruulos venire ad me, quia talium est regnum cælorum. Nec est voluntas patris, ut pereat unus de paruulis istis.

Argumentum Anabaptisticum.

Baptismus sine fide est irritus.

Infantes non habent fidem, quia fides ex auditu est.

Ergo non sunt baptizandi.

Respondeo. Maior, & probatio Minoris loquuntur de adultis recipientibus Baptismum, in quibus requiritur penitentia, & fides. Sed de infantibus hoc non est tenere, quod Spiritus sanctus per baptismum sit in ipsis efficax, efficiens nouos motus & inclinationes ad Deum pro ipsorum modo, cum promissio Euangelij, s. sancti, & vitæ æternæ pertineat ad infantes, iuxta dicta Christi, paulo ante recitata: Ex quibus sequitur in Baptismo, qui est signum & testimonium adoptionis.

adoptionis, Spiritum sanctum illis dari, & inchoari in
eis iusticiam Deo placentem, pro captu, & etate
ipsorum.

Dulcissima promissio est: Ero Deus tuus, & so-
minis tui. Ergo infantes piorum in Ecclesia, pro quibus
funduntur preces ad Deum, & per Baptismum in-
runtur Ecclesie, uerè fiunt heredes eterne uite.

Ac mos Baptizandi infantes fuit comprobatus,
& receptus etiam uetustissimis temporibus in prima
& puriore Ecclesia, ut testantur perspicua dicta, Oro-
genis, Cypriani, & Augustini, que citantur in libro
Theologicis Philippi Melanthonis.

ABSOLVTIO PRIVATA.

Quare retinetur mos priuata
Absolutionis?

1. Propter consolationem conscientiarum, ut erit
testimonium, uoce Euangelij, multis, & singulis, an-
nunciari gratuitam remissionem peccatorum, uerè dis-
ctum: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.
Item: Si dixerit, pœnitet me, remitte ei.
2. Iste mos, ostendit perspicuum discrimen, Legi
& Euangelij in Ecclesia.
3. Exemplum hoc ostendit, in Euangelio traditum
esse mandatum, de remissione peccatorum, sicut Petrus
Alc.

Alexandrinus, hunc publicum ritum citauit contra
Nestianos.

4. Rectius potest fieri exploratio doctrinae, &
maiores commodius possunt erudiri, in priuata abso-
lutione.

Sed diuina remissio non intelligatur esse tantum
alligata ad priuatam Absolutionem. Quia uerè sit res-
missio in omni uera conuersione, in qua recte cogitata
promissione Euangelij, fide accipitur consolatio. Et
Epi: cena Domini, habet uim priuatae absolutionis,
quia Sacramenta sunt applicationes promissionum.

Potest autem peti Absolutio priuata, sine enuincis
ratione delictorum.

Forma petendi Absolutionem à mini-
stris Euangelij.

Venerande Domine, reuerenter peto, ut meam con-
suetudinem audias, & mihi absolutionem pronuncies.

Toto pectore agnosco, & deploro naturæ meae
inmundiciam, caliginem, & omnem meam ἀνομιάν,
& factor, me multiplicibus delictis, pugnantibus cum
te, & uoluntate Dei, attraxisse mihi iram Dei, peccata
aeternas, & presentes. Verè igitur cum Propheta
cano: Tibi tantum Domine sum peccator, & malum
cor meum te feci. Ante tuos oculos, nil, nisi culpa sumus.
Iplex autem confugio, ad Filium Dei, Dominum nos-
trum IESVM CHRISTVM, quem aeternus
Pater constituit nobis μεσίτην, & ἱκέτην, & secundum
illam promissionem Euangelij uerè statuo, propter ipsius
obediens

obedientiam recipi me in gratiam, donem mihi remissionem peccatorum, iustitiam, Spiritum sanctum, & hereditatem aeternae vitae, iuxta vocem Iuramentum. Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatorum, sed ut conuertatur, & uiuat. Huic uniuersali mandato, & promissioni Dei, assentior fide, quamuis legale, sed fide tamen. A te autem Ecclesiae ministro, peto ut mihi etiam agenti poenitentiam, & credenti, tuam remissionem seu absolutionem a peccatis annunties, & applices mandato Christi, qui dixit: Quorum remiseritis peccata remittentur eis.

Forma praescripta cuidam adolecenti
a Philippo Melanthe,

Venerande Domine, Confiteor coram Deo, & vobis, ministro ipsius, me esse natura miserum peccatorem, indignum beneficijs, & misericordia Dei, & vita aeterna. Illam indignitatem ego auxi a multis peccatis multis, quod non satis credo promissionibus, & comminationibus diuinis, non timeo, non dubito, sum impatiens, non diligenter oro, sum ignarus, & negligens in studijs, non reuerenter colo parentes, & Praeceptores, ut debebam, non sum sollicitus pro publica pace, & Ecclesia, &c. Horum me poenitentiam sentio Deum irasci mihi propter peccata, nisi agam poenitentiam: Peto igitur, ut mihi annuncietis absolutionem, in nomine Domini nostri IESU CHRISTI, qui ait: Quidquid solueritis, erit solutum, Et quid ligaueritis, erit ligatum. Ego, Deo iuvante,

deo meos morēs, & vitam, & vicissim Deum pro
vobis precabor.

QVINTVM CA
PVT CATECHESEOS
DOCTRINA DE SALVBER
tima cœna Christi.

Quæ sunt appellationes publici ritus
Cœnæ Domini:

1. Iste ritus simplicissima appellatione nominatur
Cœna Domini, 1. Cor. 11.

2. Ecclesia Græca hunc ritum appellavit λειτουργία,
quod significat administrationem publici boni,
quod etiam dictum est. Significat igitur hoc vocabulum
non sacrificium, sed ministerium, quo fit distributio Sa-
cramenti.

3. Appellatur συνέχης, à congregatione, quia
ritus ex præcipuis finibus est, ut hæc ceremonia, sit
ritus publicæ congregationis.

4. Nominatur ευχαριστία, quia Filius Dei vult
propter, in usu cœnæ, accipi sua beneficia, & rursus vult
propter gratias, de toto beneficio redemptionis, & col-
lationis Ecclesiæ.

5. Multi ex veteribus ritum hunc nominant & γάμος
ritus, quia iste, ut sic nominè, conuictus, est fœdus mu-
tua dilectionis inter pios, & quia olim, simul ad cœnam
Domini.